



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Prooemium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

I

CURSUS

THEOLOGICO-MORALIS

Ad usum Tyronum elucubratus.

D E

PŒNITENTIÆ SACRAMENTO.

P A R S S E C U N D A.

Proœmium.



PŒNITENTIA, suavissimum miseris nomen, dicata prius fuit a Deo in Paradiso voluptatis, ut inciperet esse virtus; deinde a Christo Domino nostræ salutis vindice in Paradiso Ecclesiæ consecrata, ex virtute facta est Sacramentum. Quatenus est Sacramentum, Pœnitentia est Signum sensibile, seu cæremonia sacra a Christo Domino instituta, qua aliquis confitetur peccata commissa post Baptismum Sacerdoti habenti jurisdictionem, cum debito dolore, & proposito emendationis, ab eoque absolutionem recipit, imposita salutari pœna: Quatenus vero est Virtus, importat non solum resipiscentiam, hoc est mutationem consilii, & vitæ novitatem, sed etiam tristitiam, & dolorem de peccato, quo quis in se ipso punit, ac vindicat commissa flagitia: Quod patet, tum a nominis etymologia; Pœnitentia enim ex August. est quasi Pœnæ tenentia, & ex Isidoro, quasi Punientia; tum etiam ex usu Sacræ Scripturæ, & omnium Doctorum, qui in hoc sensu pœnitentiam usurpant; ut Luca 10. *Si in Tyro, & Sidone facta essent virtutes, que facte sunt in te, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.* Unde Gregorius lib. 34. in Evangelia ait, *Pœnitentiam agere est, & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare.* Et ipse Ovidius lib. 1. de Ponto.

Pars VI.

A Pœ-

Pœnitet, oh si quid miserorum creditur ulli!

Pœnitet, & facto torqueor ipse meo:

Cumque sit exilium, magis est mihi culpa dolori,

Estque pati pœnam, quam meruisse minus.

De pœnitentia ut virtute fufe agunt Scholastici: Theologi vero morales obiter de ea disputant, cum de dolore requisito ad Sacramentum pœnitentiæ, plenam tractationem instituentes de Pœnitentia, ut Sacramento; quod a Conciliis, & Patribus variis nominibus appellatur; Dicitur enim Lavacrum animarum, Secunda purgatio, Reconciliatio, Baptismus iterabilis, secunda post naufragium deperditæ gratiæ tabula; quibus, & aliis nominibus satis exprimitur ejus præstantia, ac summa necessitas: Scopus itaque hujus tractatus erit, Ministros Ecclesiæ erudire ad rectam hujus Sacramenti administrationem.

Quare primo quæremus Essentiam metaphysice, ac physice consideratam, Institutionem, & Effectus Sacramenti Pœnitentiæ. Secundo, quanam sit ejus materia remota? Tertio agemus de prima parte materiæ proximæ, quæ est Dolor. Quarto de secunda parte materiæ proximæ, quæ est Confessio: Ubi speciatim quinto loco agemus de Confessionis integritate. Sexto de Satisfactione, quæ pars est integralis hujus Sacramenti. Septimo de ejusdem forma, quæ est Absolutio. Octavo multa quæremus de Ministro, præsertim quanam scientia, approbatio, & jurisdictio in eo requiratur? Nono, de Casibus reservatis; Decimo, de Sigillo Confessionis; Ac demum nonnulla huc pertinentia dicemus de Indulgentiis.